

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 142

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 491 / ARTEM 2347

**Auteur(s) :** Adelize, femme de Guillaume de Bardouville [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Arnoul, Troarn, Saint-Martin (abbé)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1098-1118]

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Suite d'accords entre l'abbaye de Troarn et Adelize, épouse de Guillaume de Bardouville, concernant la terre de Héritot et Hernetot.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 7813.

### Éditions principales

a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, Appendice II, p. 304-305.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus, tam clericis quam laicis, quod domna Adelizs, uxor Willelmi Bardouville, precibus exoravit domnum abbatem Arnulfum ut terram de Heldistot, quam de Sancto Martino habebat, quia ipsam terram, pro absentia viri sui, qui Jerosolimam ierat, exercere ad utilitatem suam non poterat, tali conventionem ipse abbas exerceri faceret et servaret, ut quicquid utilitatis in fructibus et redditionibus cæteris habere posset, Sancti Martini foret. Ipsa vero per annum sexaginta solidos rotomagensis monetæ de rebus sancti haberet. Hoc autem fieri per sex annos ab utriusque parte concessum est. Et, quia familiaris et amicabile soror et in pluribus beneficiens congregationi nostræ erat, concessit ut, si quis hominum ipsius terræ de eadem terra aliquid in elemosina monasterio nostro dare vellet, ipsius permissione et bona voluntate secure faceret. Voluit etiam ut nullus alius quam fratres monasterii nostri vadimonium de ipsa terra, quæ ad hæreditatem monasterii nostri pertinet, haberet ; quod tali pacto concessum est ut, si ad terminum vadimonii positum disvadiare nollet aut non posset, qui terram in vadimonium dedisset, ipsa domina, et non alius, pecuniam vadimonii Sancto Martino redderet, terram vero ut domina retineret. Placuit etiam ipsæ dominæ, quod a tempore primi sponsi sui Rotberti concesserat, ut, si sine hærede proprio, scilicet filio vel filia, vitam finiret, in proprium dominium Sancti Martini, unde vir ejus et ipsa acceperat pro ipsa, terra rediret. Hoc totum factum est apud Bardovillam, millesimo nonagesimo VIII, anno ab Incarnatione Domini nonas decembris. Pro tota tali concessione habuit ipsa domina unciam auri de nostro. Testes Willelmus Taleboth, Riculfus de Bardovilla, dapifer. Goisfredus filius Goisberti, Rotbertus de Ansgervilla, Radulfus filius Hugonis, Herbertus, nepos Rotberti Halebran, Burgonnus, marescalcus dicti H, ex parte ipsius. Ex parte vero domni abbatis : Hubertus, monachus, Willelmus, presbiter de Heldistot, Radulfus filius Saffredi, Gislebertus, nepos abbatis, Grento Hiorn, Rogerius de Brueria, Radulfus de Waravilla.

Au dos de la pièce, en haut, et de la même écriture :

Subsequenti anno, dedit ipsa Adelizs tres accras de ipsa sua propria terra, ubi melius fratres, præter ædificia antiqua sua, ædificia ponere possent, domno abbati Arnulfo, apud Rotomagum. Ipse vero, pro tali perpetua concessione, dedit sibi palefridum unum. Testibus Willelmo et Rogerio de Fraisnosa et Herberto et Burgonno, servientibus dominæ. De nostris : Gisleberto, nepote abbatis, et Radulfo de Waravilla et Richardo de Turfredivilla.

Plus bas, d'une autre main :

Deinde anno MCXVIII. ab Incarnatione Domini, in ebdomada Paschæ, libenter recognovit eadem Adelizs, apud Rotomagum, coram domno abbate Andrea et monachis nostris Goiffredo et Rogerio, quod Heldistot et Ernoltot tenet et tenere debet de Sancto Martino et de domno abbate et de monachis Sancti Martini Troarni. Testes, ex nostra parte : Arnulfus, dapifer, Taixo, Goiffredus filius Roberti de Sancto Martino, Radulfus de Waravilla. Ex parte Adelizs : Osbernus de Fraisneto et Willelmus, frater ejus, et Ivo, nepos ejusdem Adelizs.